



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotee.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.1. Eam non immeritò Christiano cuilibet commendatam esse debere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](#)

Hic observo denique: quemadmodum iij quos paulo  
antem memoravimus, Christum posuerunt ut signaculum su-  
per cor suum; ut omnia sensa ac vota sua, Crucifixi memo-  
riam, tanquam sigillo insignirent: ita etiam plures fuisse, qui  
illum propriè ponerent ut signaculum super brachium su-  
um, inusto scilicet arte quadam in brachijs aut carpis, crucis  
signo aut IESU nomine, quo crucis Dominicæ recordatio-  
nem ita quasi ad manum haberent, atque exinde omnia  
ipsorum opera ipso Christi nomine quodammodo sigillata  
& consecrata apparerent. Quem quidem morem quon-  
dam apud multos invaluisse, ex ijs discimus, quæ scribit Laurentius  
Ramirez in Chronicon Luitprandi; & ex antiquis  
Procopius Gazæus in caput 44. Isaiae. Constatq; ex historijs  
recentioribus, quosdam populos Orientales, etiam inum-  
crucis cauterio inustum brachium habere.

## C A P U T IV.

*Apud se in cubiculo, CHRISTI crucifixi effi-  
giem aliquam habere.*

### §. I.

*Eam rem merito Christiano cuilibet commendata esse debere.*

**A**Quum sanè foret Christianum quemlibet, eosq; præ-  
sertim, quorum limina, ut nobilitate dignitatè præ-  
stantium, cum primis celebrantur, ædium suarum conclavia,  
tum alijs pietatis monumentis, tum (& præcipue) vitæ ac  
passionis Christi imaginibus, convestita habere. Primùm,  
ut eà religione ædes suas quodammodo consecrent. Dein-  
de, ut hac tanquam tessera, profiteantur se esse quod sunt;  
hoc est, Christianos. Postremò, ut hac ratione summotis  
noxijs rerum turpium simulacris, suo aliorumq; pudori atq;  
saluti

saluti consulant, & pro obscenis speciebus, castas ac sanctas cogitationes ingeant.

Quo in genere (ut obiter hoc dicam) probrofa videatur nimia quorundam licentia; quorum aulas ingressus, usque adeo rerum, non profanarum modò, sed etiam pudendarum formis, palam & ob omnium oculos prostitutis, de turpata verius quam exornata spectes omnia; dubitare ut possis (adidum apparatum quod attinet) hominisne Christiani domum, an à Christiana religione alieni testum ac latrem intraveris.

At quanto nobis sint, hac quidem in parte, Schismatici Moschi religiosiores, vel hinc licebit cognoscere. Habet eorum quisque in suis aedibus, Passionis Christi aut similem aliquam religiosam imaginem: cùmq; alter alterum convenit officij negotijs gratiâ, non continuò ad Dominum dominus consalutandum convertitur; sed aperto capite ante omnia circumspicit, ubinam imago sit, cui profundè caput inclinans, ac tertium ducto crucis signo se muniens, eam brevi prece veneratur: tum ijs deinde transactis quorum gratiâ venerat, non priùs domo pedem effert, quam eandem imaginem eadēm qua priùs religione salutaverit. Ita Alexander Guagninus in sua *Moscovia* cap. 4.

Verum alijs prætermisssis, id modò unum à te contendomi Christiane; ut ad Salvatoris passionem crebrius familiariusq; recolendam, intra cubiculum aut conclave secretius, effigiem Christi crucifixi aliquam habeas; quem velut præsentem in sua imagine observes, in cuius conspectu atque oculis verseris assidue, eumq; modò ut socium ac contubernalem, modò ut actionum testem ac præsidem, modò ut amicum ac secretorum consciūm, alias ut præceptorem domiciliū officij, monitorem, aspicias; à quo denique incertus in rebus consilium, auxilium in arduis, refugium in periculis, levamen in molestiis, solatium in adversis expectes. Hac generatim: speciatim autem ista licebit observare.